

Cartulaire de Marmoutier pour le Perche (N.-D. du Vieux-Château Collégiale de St-Léonard de Bellême et Prieuré de St-Martin-du-Vieux-Bellême), Nr. 173

Noscant futuri per cartam quod videndo cognoverunt presentes. Odo itaque, Landrici filius, beato Martino Majoris Monasterii ejusque monachis totam decimam de terra quam habet in paroechia de Curte-Leonardi, sicut predictus pater dederat concessit. Willelmus vero, tunc prior ipso die XII denarios dedit ei. Quod viderunt isti : Gerbodus de Sancto Martino Guillelmus Deauratus, Durandus filius Harduini et alii plures.